

2. Paral. 25. ritanis magnam militum copiam. 2. Para. 25. n. 6. exiit Propheta obviam, & ait ei; O Rex ne egrediaris tecum exercitus Israël, non est enim Dominus cum Israël, & cunctis filiis Ephraim: num. 7. cur tam rigide prohibet Deus ne Amasias habeat milites ex Israël, erant illi infecti idololatria, & ideo potius erant ad ruinam, quam adjuvamen, cum fide corrupta peccandi viam aperirent. Lyranus: Quoniam erant idololatra: ideo eorum societas magis nocuisset, quam juvisset.

QUÆSTIO II.

Quare sputo imposito super oculos, dat Christus D. visum homini cæco?

10. **A**lt Textus, quod ad sanandum hominem, n. 23. Expuens in oculos ejus: Hanc quæstionem de alio cæco Marc. 7. n. 33. jam tractavi tom. 4. cap. 3. q. 8. inde breviter ab hac me expediam. Et saliva, ut jam dixi in expositione, non est naturalis medicina ad oculos sanandos; tamen saliva Christi D. habebat supernaturalem efficaciam, ut instrumentum Divinitatis ad mirabilia operanda.

11. Moraliter Author commentariorum in D. Marcum apud D. Hieronimum, & tribuitur D. Chrysof. ait: Saliva Domini perfecta doctrina est, qua ut perfecte docet à Domino procedit; Beda vero ait, Spusum, quod de capite hominis procedit, gratiam Spiritus sancti designat; quæ homines illuminat, ut videant voluntatem Dei per flarum Spiritus sancti.

12. D. Gregorius homil. 10. in Ezechielem, ait Saliva nobis ex ore Redemptoris, accepta sapientia in divino eloquio, saliva quippe ex capite defluit in ore; Saliva à capite descendit, & salis saporem habet, proindeque significat sapientiam, quæ à solo Deo venit, & inde in omnes derivatur. Ponuntur Cherubim adversus oraculum: Expandentes alas versus vultibus in propitiatorum: Exod. 25. num. 20. Alis expansis astant Cherubim; Hebraica Radix habet. Magistri; Stant, & volant magna, & altâ sapientia, sed quod oculos mittunt Cherubim, magistri, ac principes sapientia: versus vultibus in propitiatorum: ad id, nempe, respiciunt, à quo sapientiam hauriunt, & participant; appositè D. Augustinus quæst. 105. in Exod. ait: Quia quibuscumque professionibus ad scientiam spes non est, nisi in Dei misericordia.

13. Ministri Pharaonis in caretere multum tristes, & anxii erant, quia somniorum interpretationem non valebant deprehendere; cum hæc dixissent, Joseph dixit eis. Nunquid non Dei est interpretatio? referte mihi quid videritis: Genes. 40. n. 8. & quando ipse fatetur unius Dei esse interpretationem dare, ad quid vult ut somnia sua referant; nunquid ipse Joseph est Deus; absit. Sed hæc dixit uni Deo cuncta tribuens, & referens. unoque Deo nititur, à quo ceperat sibi interpretationem eventuram, à cujus flauu est omnis sapientia, & intelligentia.

D. Chrysof. ibi. Non à me promitto vobis aliquid me dicturum, Deus est, qui revelat, narra-te igitur mihi. Vide intelligentiam; non dixit, ego vobis disjudo, ego dico vobis somniorum eventum; sed Deus est solus, qui talia revelat.

Marc. 8. n. 24. Et aspiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes.

Num. 25. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus, & cepit videre, & restitutus est, ita ut clarè videret omnia.

Num. 26. Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam, & si vicum introieris nemini dixeris.

VERSIONES.

Syrus n. 24. Instar arborum ambulantium.

Arabicus n. 25. Et vidit bene, & sanatus est, & perspexit omnes res clarè.

Syrus. Et videbat omnia lucidè.

Vatabl. Discernebat omnia.

Arias. Fecit eum videre.

Cuictan, Ut videret omnes homines.

Arabicus n. 26. Ne ingrediaris civitatem; neque dicas ulli ex civibus tuis quidquam.

Æthiopic. Ne ingrederetur in villas.

EXPOSITIO II.

**V**ideo homines velut arbores ambulantes: ac si diceret, video non clarè, ac distinctè, sed obcurè, ac confusè, ut explicant Theophylactus, Euthymius; ut nos videmus ea, quæ sunt à longe, vel ita imperfectè videbat, ut homines ei apparent tam proceræ staturæ, ac arbores, & ut ait Beda, ex solo motu deprehendebat esse homines, & non arbores moventur.

Deinde iterum imposuit manus: Propter imperfectam fidem istius hominis, ac offerentium, non instanti, sed sensim, ac paulatim ad sanitatem Dominus eum adduxit. Beda. ait: Ut magnitudinem humana cecitatis ostenderet, qua quasi pederentim, & per quosdam profectuum gradus ad lucem divina visitationis, id est, cognitionis solet pervenire. Ex his, quæ agebantur in externâ visione conjecturandum est in interna cognitione fidei: quia homo ille erat in magna infidelitate, paulatim fuit disponendus, ut ad perfectam supernaturalium cognitionem perveniret, ut sit in pueris balbutientibus, qui instruuntur per rudiora elementa.

Esti in vicum introieris, nemini dixeris: per vicum intelligit Bethsaidam: & ait: nemini dixeris: sepè Dominus sua magnalia abscon-

abscondebat ad evitandum populi applausum; vel ne civis magis aggravaretur in sua infidelitate tot visis miraculis, ut supra dixi, vel ut ait Euthymius: Præcipit ne cuiquam dicat in vico: Propter incredulitatem eorum, qui in illo, scilicet vico, erant, ne & fidem ejus perverterem? tenendi in fide cautè, & prudenter alendi hominum animi ne corrumpantur, & ideo ne corrumperetur fides cæci illuminati ab illis incredulis hominibus.

QUÆSTIO. III.

Quare non subito; sed sensim Dominus hominem curat: ut primo videat homines, tanquam arbores ambulantes?

17. **I**nquit cæcus Aspiciens, video homines velut arbores ambulantes: Poterat Dominus in instanti cæcum sanare, ut in multis aliis miraculis fecit, tamen cor hęc sensim se voluit habere? inquit quæstio.

18. Primò: Voluit Christus miracula omni genere, & omni modo agere. Secundò, ut cæci fidem, spem, ac desiderium magis ac magis accenderet, ut fidei imperfectæ hominis paulatim crescenti, se artemperaret, ac accommodaret Christus. Victor Antiochenus ait: Ipsum visionis incrementum, & accessio fidei incrementum; & accessionem confirmat. Tertiò: ut miraculum certius apparet. Quartò, cæci posset in instanti salutem dare, tamen noluit ut denotaret, quod ille, qui vult à Deo salutem accipere, debet perseverare instando, ut multipliciter divinæ manus beneficæ ei admoveantur iterum, atque iterum, ut perfectam sanitatem recipiat. D. Petrus Chrysol. ferm. 176. ait: Iteranda est ergo cura Christi, ut perfecti oculi suavia certâ, mententia videant & æterna: nemo uno virtutis actû sibi placeat, & quiescat.

19. Ad secundam partem Quæstionis veniam, in qua est major difficultas, ait Cæcus: video homines velut arbores ambulantes: Per quod denotatur, quod confusè, & obscurè videbat, nam homines sunt mediocri staturæ; arbores proceræ, & magna magnitudinis; qui adhuc in peccatis est, & non tenet perfectam fidem, ac agnitionem celestium donorum, res hujus sæculi ei videntur magnæ, ac proceræ magnitudinis, cum ex se sint valde exiguæ, & parvæ, quæ citò decidunt, & arelescant. D. Petrus Chrysol. citato ferm. 176. ait: Imperfectis oculis grandescunt formæ, turbantur species, res fallunt ipsa: quia non jam visionem cupiunt; sed adhuc umbram sustinent visionis, si oculus præ-

vis humoribus mundialium tenetur, totus caliginosus obscurè videt; & parva videntur magna; & amara dulcia, ac suavia. Excerans dicem illum Job. 3. n. 5. dicebat: Obscurent eum tenebra, & umbra mortis; Occupet eum caligo; & involvatur amaritudine. Expollulat in illum diem amaritudinem, caliginem, & tenebras, ut ita ipsa totus in obscuritate demersus sit: involvatur amaritudine: quia ubi ex suis deliciis sperabat suavitatem, ac dulcedinem gaudiorum, reportaret amaritudinem penarum, ac suppliciorum. D. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 18. ait: Diem amaritudine involvimus, cum præva delectationis gaudium, quæ supplicia sequantur, aspiciamus; & asperis hoc fletibus circum-

Deinde perpende, quod non ait: Video homines, ut arbores, sed addit, ut arbores ambulantes; arbores firma radice stant si videt ut arbores, quomodo non videt stantes, sed ambulantes, & modo taliter videt, cum separatus est à tumultu hominum, & cum manus Domini eum tetigit, quia si separamus animum à mundialibus, & manus Domini tangit nos, statim deprehendimus, & agnoscimus omnium rerum mundialium fluxum, & quomodo certissime ad interitum, ac sepulchrum volant; Eleganter citatus D. Chrysol. ferm. 176. ait: Et quare vidit sicut arbores non ut columnas, neque stantes, sed ambulantes? quia post Christi curam viderat, quod homines, velut arbores transfrent in hoc sæculo, & non manerent.

Hoc in primo rerum molimine nobis Sacra Scriptura denotat, narrans: Genes. 2. n. 8. Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formaverat. Quæ verba ex Hebræo sic leguntur apud D. Augustin. lib. 8. de Genes. ad litteram sic leguntur: Plantavit Deus paradisum in Edem ad Orientem: Homo efformatus è manibus Dei, & exiens à manibus Dei, in quo loco ponitur, ac constituitur: in Edem: ut etiam legunt Septuaginta, id est, in terrâ instabili, & inde ad plagam Orientalem posuit eum: cur non potius ad meridianum ut semper haberet ante oculos perpetuum rerum mutabilitatem, ac eorum fluxum, & ab ipsis celestibus altis discederet, quomodo omnia absque quiete unius instantis tendunt ad interitum, & sepulchrum. Ad hoc tendit Severianus in Caræna Græcâ dicens: Deus hominem ibi primum habitare voluit, unde principi lucis exhortetur, nam quemadmodum sidera ab ortu tendentia ad occasum rursus apparent; sic & oportebat à vitâ prosperare ad mortem: Hominem è manibus divinis creatum, Divinæ manus in oriente constituunt; uti exinde valeat notare siderum cursus, quomodo omnes tendunt ad occasum, & interitum; ut inde similem sibi eventum, ac finem agnoscat; eumque semper ante oculos habeat;